



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Capita Pietatis Christianæ, Interrogationibus Et  
Responsionibus vsitatis in Catechetica Methodo ita  
explicata, vt breuem sed integram hypotyposin doctrinæ  
purioris complectantur**

**Ferinarius, Johannes**

**Magdeburgi**

**VD16 W 3078**

Capita Pietatis Christianæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36195**

I  
CAPITA PIETATIS  
CHRISTIANÆ.

Recita testimonia, ostendentia solius Eccle-  
siae doctrinam, non esse commenti-  
tiam, sed à Deo patefactam.

**V**ETUSTAS GRADVS TE-  
stimoniorum recenset, quæ mentes ho-  
minum partim conuincunt, partim  
inuitant, vt assentiantur doctrinæ,  
quam Deus proprie tradidit Ecclesie  
sue, ac in Prophetiis & Apostolicis scriptis com-  
prehendi voluit, quorum hic numerus traditur. I. Mi-  
racula. II. Antiquitas. III. Genus doctrinæ, seu, do-  
ctrinarum collatio. IIII. Perpetua conseruatio Eccle-  
siae inter ruinas imperiorum. V. Confessorum constans  
tia. VI. Poenæ hostium Euangelij. VII. Arrabo in  
corde.

I. Primo loco miracula numerantur, quæ sunt  
inuitata & miranda facta extra ordinem naturæ.  
Etsi enim totus ordo naturæ de Deo & testimonium &  
commonefactio est, tamen, quia doctrinam protulit  
Deus extra conspectum rationis positam, addidit ei  
singularia & noua testimonia extra hunc ordinem na-  
turæ, vt sciri possit non excogitatam esse ab hominibus,  
sed à naturæ Domino & liberrimo creatore prolatam  
esse, ac distinctam ab opinionibus aliarum gentium.

Quæ

Quæ etsi sua quædam miraculo narrant, tamen alia sunt propria Ecclesiæ, non imitabilia ullis creaturis: ut resuscitatio mortuorum, repressi Solis cursus, partus mulierum quæ & sua natura steriles & senecta effœtæ fuerunt, partus virginis, conseruatio hominum in medijs flammis, prædictio Monarchiarum, & aliorum negotiorum, quæ nulla creaturarum sapientia certò prospicere potuit.

II. Secundus gradus testimoniorum est doctrinæ Antiquitas quæ non, ut miracula, conuincit animos, sed inuitat tamen. Consentaneum est enim Deum initio se patefecisse, & semper in genere humano uoluisse aliquam esse partem, à qua recte agnosceretur, nec initio totum genus humanum tantum ad æternum exitum conditum esse. Dulcis est igitur primæ ætatis consideratio, nec minus uerè quam eruditè dictum est à Tertulliano: Primum quodq; uerissimum esse. Sic Iustinus & Clemens refutant ethnicos: Cum antiquior sit Ecclesiæ doctrina opinionibus Ethnicis, hanc ueram esse, & reiiciendas esse contrarias opiniones. Manifestum est autem omnes Græcos scriptores multò posteriores esse Moise. Nee ulla gens in toto genere humano retinuit memoriã inuicij à primis hominibus, & continuam seriem annorum, præter Ecclesiam. Cumq; huic narrationi Deus testimonia dederit, ueram & antiquissimam esse non dubitemus. Magna autem confirmatio est assensionis, scire hanc doctrinam, quam amplecteris, eandem semper in uera Ecclesia fuisse, &

eodem

eodem modo te inuocare verum Deum fiducia filij, sicut inuocarunt Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, iuxta dictum Domini: Abraham vidit diem meum & letatus est.

III. Tertio loco Genus doctrinae nominatur, cuius duae sunt partes, Lex & Euangelium. Cum autem legis noticia omnium hominum mentibus insita sit, ratio in omnibus hominibus fateri cogitur, impossibile esse ullam gentem populum Dei esse, quae sancit leges contrarias diuinae legi. Sunt autem hi communes furorores omnium Ethnicorum: inuocare turbam Deorum, & prodigiosas fabulas de dijs fingere, & legibus conserere tetras libidinum confusiones. Apud multos etiam eximij cultus fuerunt mactationes hominum, stupra & adulteria. Fateri igitur ratio cogit legem in Ecclesia rectius doceri, Imo, nusquam mansisse integram, nisi in libris Prophetis & Apostolicis. Hoc argumento & veteres in refutationibus Ethnicorum vsi sunt.

Præterea Euangelium, etsi non est rationi notum, tamen eas res patefacit, de quibus nihil affirmare certè doctrinae Ethnicæ possunt, quarum tamen cognitione necessariam esse fatendum est. Cum enim homo sit imago Dei, & sit conditus, ut agnoscat & celebret Deum, Vnde sunt tantæ dubitationes in mentibus humanis? vnde disidium mentis & cordis? vnde tanta est in corde contumacia & tanta viciorum incendia, cum Lex in mente luceat, & restetur homines ita conditos

ditos esse, et congruant cum Deo? Suntne homines conditi, ut sint in sempiternis vicijis ac miserijis? Vnde tanta sunt calamitates hominum, eorum etiam, quorum mores sunt sine scelere, ut puerorum, honestarum matronarum, virorum honestorum, ut Palamedis, Socratis, Scipionis, & aliorum? Vnde tam variae dissensionones de Deo. An Deus, & cur exaudiat homines? An, postquam corpora extincta sunt, secutura sit alia vita, in qua futurum sit discrimen inter iustos & iniustos? Qui homines sint templum Dei, & quos exaudiat & iuuat? De his tantis rebus quanta sunt tenebrae in vniuersa Ethnicorum sapientia? Quam varij Philosophorum furores, qui, sicut Titanes bellum inferunt caelo, fingunt aut nihil esse prouidentiam, aut Deum causis secundis alligant, & omnia scelera necessario fieri disputant. Cum igitur fatendum sit hominibus necessariam esse doctrinam, de causis & remedijs tantorum malorum in genere humano, Et sapientia Ethnica veram doctrinam ignoret, amplectamur vocem diuinam in Ecclesia, cum quidem Deus illustra testimonia addiderit, & hoc doctrinae genus comprehensum in monumentis Propheticis ac Apostolicis inter tantas imperiorum ruinas, urbium & gentium vastationes immensa bonitate seruet. Fatetur ratio legem nusquam incorruptam tradi, nisi in Ecclesia. Ibi cum certum sit esse vocem Dei, audiatur & haec doctrina, de qua Ethnicos fateri necesse est, in suis religionibus & doctrinis tenebras esse, Et tamen harum quaestio-

Unum explicationem ad agnitionem Dei, ad quam homo conditus est, & ad veram consolationem necessariam esse.

III. Quartus gradus testimoniorum est perpetua conseruatio Ecclesie inter tantas ruinas imperiorum, & vastationes: ut, Nohe doctrinam & cultus placere Deo certum est, quia ceterae opiniones & sectae omnes deletae sunt, sola Nohe familia seruata est, & quidem manifesta Dei ope. Etsi autem haec miranda conseruatio Ecclesie in primo testimonio, videlicet, inter miracula comprehendi potest, tamen eo discernitur a primo genere, seu gradu, quia est perpetuum miraculum, & testimonium assiduae praesentiae Dei, & ad singularem regulam pertinet: Verbum Domini mponet in aeternum, Et quidem non humanis praesidijs, ut scriptum est: Non in exercitu nec in robore, sed in Spiritu meo dicit Dominus exercituum. Nec obstat, quod multi semper admixti fuerunt Ecclesiae contagijs malorum opinionum infecti, ut Zachariae & Simeonis collegae erant Pharisei & Sadducei, quia tamen, ut scopulis allise spuma rursus defluunt, cum quidam scopuli stent immoti, vicit & mansit veritas in coetu Apostolorum, postea funditus deletis Phariseis & Sadduceis. Ita deinceps, etsi corruptelas Diaboli spargunt, tamen extinguit eas veritas rursus illucescens, quae quidem sic emergit, ut euentus ipsi iudicium Dei ostendant.

V. Quinto loco numeratur Confessorum constantia, seu in supplicijs leticia Martyrum, cum propter

propter confessionem cruciantur. Quae dupliciter confirmat alios: Primum, quia miraculum est, quod Deus ostendit se robur addere infirmis, contra terrores & supplicia, & praesentiam suam multipliciter declarat, sicut multi in ipsis supplicijs excitarunt mortuos, & alias res miras effecerunt: Deinde quia celsitudo animorum in his qui supplicia placide sustinent, ostendit Euangelium efficax esse in ipsis, & semen esse Dei, ut Iohannes nominat, quo incoantur aeterna vita, iusticia & leticia. Nec magnitudo animi victrix mortis existere potest, nisi prius assensio firma sit, & luceant in mente testimonia Dei.

VI. Ad hunc gradum & Sextus adiungitur de poenis hostium Euangelij. Etsi autem tunc, cum filius Dei palam rursus se generi humano ostendet, verae & manifestae poenae omnium impiorum conspicientur, tamen & in hac vita proponuntur exempla, sicut Deus aliquandiu seuire Tyrannos, fanaticos doctores, & eorum satellites in Ecclesiam, ac interea confessio multorum & alia signa testificantur de Euangelio: postea vero illustris exemplis puniuntur furores impiorum, ut deleti sunt Pharao, Cananei, Iudaei, Ethnici quorum insignis fuit seuitia,

VII. Septimum Euangelij testimonium in ipsis credentibus perspicue conuincit mentes & pectora, videlicet consolatio, seu, leticia quae accenditur a Spiritu sancto, de qua Paulus inquit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, Hic spiritus

CHRISTIANAE.

Spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei. Item: Obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hereditatis nostræ in redemptionem, qua in libertatem vindicabimur ad laudem gloriæ ipsius. Hæc ita fieri sentimus in veris doloribus sustentantes nos cogitatione Euangelij, & inuocatione, sicut dicitur: Spiritus opitulatur infirmitati nostræ. Audita voce Euangelij, cum in magnis doloribus erigimur, filius Dei in mentibus nostris ostendit voluntatem æterni Patris, ac dicit consolationem, quam sonat vox Euangelij, & assensionem confirmat, ac simul effundit in corda Spiritum sanctum Arrabonem, quo sentimus læticiam, qua corda acquiescunt in Deo, non iam fugiunt Deum, sed accedunt, inuocant, petunt, & expectant ab eo auxilium, & habent initia vitæ æternæ. Hæc lux in sua cuiusq; mente, & læticia in corde præsentiam Dei ostendunt: Confirmatur ergo assensio, & verè est fides in mentibus, vt nominat Epistola ad Hebræos, ἔλεος καὶ ὁμολογία.

Hæc illustria testimonia, munientia fidem, opponenda sunt, cum alijs congregationibus omnibus, alienis ab Ecclesia, tum etiam Mahometistis, qui expressè reijciunt scripta Prophetica & Apostolica, delent totum Euangelium. Et quamuis retinent quædam Politica, ex Legge Morali, tamen non habent legis vsum ministerij in Ecclesia proprium: Euertunt etiam aliqua Decalogi præcepta, & fœdera coniugiorum.

C Quid



Quid respondendum est ad vsitatum argu-  
mentum, sumptum ex dicto  
Augustini

*Euangelio non crederem, nisi me moueret Ecclesie  
autoritas.*

*Ergo maior est Ecclesie autoritas, quam Euange-  
lij, & licet Ecclesie condere dogmata, non com-  
prehensa in Euangelio.*

Respondeo: Dictum Augustini loquitur de recep-  
tione horum librorum, quos sciri oportet ab Aposto-  
lis traditos esse, ut discernantur ab alijs dogmatibus,  
quæ neq; scripturæ neq; orthodoxæ Ecclesie testimo-  
nia habent. Hæc fides assentiens narrationi veracium  
testium differt à fide accipiente beneficia filij Dei, ob-  
lata in promissione Euangelij. Non enim ideo credi-  
mus filium Dei esse Redemptorem humani generis, &  
datorem æternæ vitæ, aut homines mortuos recepturos  
esse corpora, quia hoc affirmarunt quantumvis fide  
digni homines. Sed fides hæc statuens esse vera, nititur  
autoritate solius Dei, qui se patefecit in verbo ex-  
presso in scriptis Prophetiis & Apostolicis, cui &  
certissima testimonia addidit. Narrationes vero de  
promulgatione doctrinæ & de patefactionibus diuinis  
in Ecclesia veras esse constat, quia libri Prophetici &  
Apostolici sunt nobis traditi per manus, continua se-  
rie, à pijs hominibus, & quia assidua accesserunt  
miracula.

**Rectene**

CHRISTIANAE.

Recte dicitur, Sermonem Propheticum,  
& Apostolicum esse ambiguum, & ideo vo-  
cem Pontificis aut conciliorum, oportere esse normam iudicij.

Magna contumelia, & graue scelus est in Filium  
DEI, qui est λόγος aeterni patris, seu persona illa,  
quae vocem Euanglij ex sinu patris protulit, quaeq; in-  
stituit ministeriū docendi, & per illud est efficax, sentis-  
re, quod ediderit patefactiones, similes Sybillae folijs,  
deludentes homines, & detinentes eos in dubitatione,  
& mendacijs. Certe nulla ambiguitas est in doctrina  
necessaria, seu in doctrina fundamenti. Non enim obs-  
cure sunt propositiones Decalogi, aut articuli fidei.  
Sed dicta scripturae sunt dextre intelligenda, sine so-  
phistica, & inspicendus est perpetuus contextus narra-  
tionis & membrorum. Lector etiam intelligat phras-  
im, & non sit rudis exercitiorū fidei & inuocationis.  
Ita expresse dicitur: Nihil addas, neq; detrahas. Non  
sequantur cogitationes suas, sed sint memores praece-  
ptorum DEI. Si velatum est Euangelium nostrum, in  
his qui pereunt velatum est. Ergo non est ambiguitas  
in voce coelesti, nec requiritur interpretatio valens hu-  
mano iudicio, vel auctoritate iudicum.

In controuersijs verò de intellectu sermonis, &  
dictorum scripturae, adiungantur testimonia purioris  
Ecclesiae, tanquam doctricis, & monitricis, quae tunc  
confirmant mentes, cū apparet ea congruere cum fons-  
tibua. Fides enim nititur perspicuo verbo Dei.

¶ 2. Quid

CAPITA PIETATIS  
Quid nominatur Catechesis in  
Ecclesia?

Nominatur summa doctrinae, quae sonat in Catholica Ecclesia CHRISTI, congruens ad normam scripturae Propheticae & Apostolicae, & ad symbola, tradita, ut rudior, & tenior aetas, capita doctrinae caelestis, rectius mente complecti, & modos loquendi perspicuos, & visitatos facilius retinere possit.

Quae est Etymologia vocabuli?

Deducitur a verbo κατηχέω, quod significat doceo, seruata tali diligentia, ut reposcam dictata ab auditoribus. Sicut & vox Echo significat sonum recessum, & reflexum.

Vocabulum Catecheta, in prima & puriori Ecclesia, significat doctorem, qui Elementa doctrinae tradebat illis, qui ex Ethnicis accessuri erant ad Ecclesiae societatem, antequam admitterentur ad Baptismum, & communionem. Ad eas lectiones, etiam conueniebant adolecentes, nati ex Christianis parentibus, & illi quoque qui sustinebant ἐπιτίμια, & ad tempus separati erant a communionem, discipline causa. Auditores vero nominabantur Catechumeni.

Ita Clemens, & Origenes fuerunt Catechetae Ecclesiae Alexandrinae. Praeterea exercuerunt adolescentiam lectores isti in studijs linguarum, & artibus, quae sunt necessariae ad explicationem doctrinae caelestis, praesertim tunc, cum Iulianus Imperator, liberos Christianos

Christianorum arceret à Scholis Philosophorum. Tunc enim proprias scholas condiderunt, Apollinaris, Basilii, Gregorius, & alij.

Vetustas recitavit dictum, quod tribuitur Apostolo Bartholemæo, idq; haud dubie intellexit de doctrina Catechetica, Euangelium, dixit D. Bartholemaeus, est breue, & longum. Quamquam enim magna varietas doctrinae est comprehensa in libris Prophetis & Apostolicis, & continetur in illis sapientia, quæ superat captum omnium creaturarum: tamen ipsum genus doctrinae est perspicuum, & minime ambiguum, & potest redigi in breue corpus, ut necessaria capita ab omnibus intelligi possint.

Deinde, etsi Euangelium breue est, hoc est, clarum, & intelligibile: tamen idem etiam est longum, quia experientia est difficilis. Non enim facile est eluctari ex paucis conscientia, oppressæ sensu iræ & iudicij DEI. Nec facile est retinere fidem & spem, inter tristissima spectacula poenarum, in calamitatibus, in morte.

Sepè etiam mente repetendum est præceptum Paulinum, quod præcipit de cura & assiduitate discendi integrum corpus doctrinae & ad conservanda puritate doctrinae. Formam retincto sanorum verborum, quæ à me audiisti, in Fide & dilectione, quæ est in CHRISTO IESU. Bonum depositum custodi, per Spiritum sanctum, habitantem in nobis. Iubet Timotheum res, sicut ab ipso Paulo delineatas acceperat,

fideliter complecti memoria (ut in omnibus artibus necesse est facere  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\pi\omicron\iota\sigma\iota\mu$ , reuocantem præcepta intra certas metas) & retinere etiam modos loquendi, vsitatos Prophetis & Apostolis. Exaggerat autem præceptum addita grauisima adhortatione. Iubet enim custodire doctrinam tanquam præclarum depositum. Et constat in custodiendo deposito, seueris finè postulari bonam fidem. Expresse vero addit: Per Spiritum sanctum, sicut prius dixit: In fide & dilectione. Nam doctrina est construenda ad excitandam fidem, inuocationem, & alios bonos & sanctos motus. Nec sunt querenda cauillationes, turbantes veritatem, & impediendes inuocationem in hominibus.

Quot nominantur vsitatè capita puerilis Catecheseos?

Quinq;: Decalogus, Symbolum Apostolorum, Precatio Dominica, Doctrina de Sacramento Baptismi, & de Coena Domini. Hanc partitionem nos etiam retinebimus, & ordine membra illa doctrinae enarrabimus.

## ARTICVLVS DE LEGE DIVINA.

Quot sunt gradus legis diuinæ vel Mosaicæ?

Tres: Lex Moralis, vel aeterna, Leges Ceremoniales, & Leges forenses.

Quid